



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Crucis Benedictinum monasterium, quod est intra muros Imperialis  
oppidi Donawerdæ, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38166**

Rediit Augustam in vigilia Hilariae anno 1548. praesente Imperatore Carolo V. Contruxit novas domos è regione caemiterii anno Domini 1549. Praest adhuc currente hoc Jubileo.

**S** CRUCIS Benedictinum monasterium, quod est intra muros Imperialis oppidi Donawerdæ, id est, Danubianæ peninsulæ (peninsulam enim Germani *Werd* vocant) præclarum fundatum legitur initio pro Deo dicatis Virginibus à Mangoldo, Comite Dillingensi & Kiburgensi, & conjugè ejus, Domina Tuta, anno Christi 1100. auctum tandem ab aliis duobus Mangoldis, ejusdem stemmatis Comitibus, qui omnes in capitulari ejus coenobii domo honorifice sub insigni Mausoleo sepulti sunt cum tali epigraphæ:

*Tres fundatores Mangoldi, Tutæq; flores  
Cælestis prati, pausant simul hic tumulati.*

Est eodem loco celebris sepultura Marfallorum de Bappenheim. Sepelitur in eodem etiam templo quædam Principissa à proprio marito Ludovico Bavaro propter suspiciones quasdam trucidata, cum tali inscriptione: Anno Domini 1256. decima quinta Kalend. Februarii in castro *Werd* obiit Domina Maria, Ducissa Bavariae, filia Ducis de Brabant: de qua videbis, quæ annotabimus in Fürstenfeldensi Abbatia.

Prima hujus loci Abbatissa designata legitur Domina *Gunderadis*, primi fundatoris Mangoldi ex Domina Tuta filia, de qua nihil tamen amplius in literas relatum invenio: quemadmodum etiam hoc ignoratur, quando & quam ob causam sexus mutatus sit. Postremos Abbates hos tantum reperi, reliquis omnibus amissis in proximo bello Germanico, quo coenobium à Smalcaldici foederis militibus occupatum, direptum & miserrime spoliatum est.

*Abbatum series.*

2. *Theodoricus* Abbas præfuit annis Christi 1135. & 1166. ut Chronicon Cæsariense testatur. Unde liquet, locum istum non diu à monialibus habitatum fuisse. Post istum Abbatem magnus hiatus est; plurimi enim desiderantur.

E e e 2

3. Bar-



Maximilianus  
vixit per  
mensem  
in mona-  
sterio S.  
Crucis.

3. *Bartholomæus Bochsbornius*, ex Weiffenhorna natus, totius ordinis Benedictini visitator, virque omnino strenuus morumque acerrimus censor, constituitur Abbas anno 1485. Præfuit 32. annis feliciter, bonus œconomus & cœnobii hujus penè secundarius fundator. Sub cujus gubernatione optimus imperator, Divus Maximilianus, per mensem integrum aliquando in hoc cœnobio vixit, ubi ille facellum perelegans (quod in hunc usque diem Imperatorium vocant) de suo construxit, addens etiam insigne monumentum argenteum magni ponderis, quod Monstrantiam vel portatilem Sacramenti loculum vulgus sacerdotum vocat. Obiit Abbas iste anno 1517. relinquens 30. milia aureorum.

4. *Franciscus Rbear* Werdensis eligitur anno Christi 1517. Præfuit 2. annis & ab Episcopo Augustano Christophoro exauthorarur & ad perpetuos damnatur carceres ob enorme crimen anno Domini 1519.

5. *Joannes Lenerus*, patria Ulmenfis, præclarus musicus, eligitur anno 1519. Præfuit 3. annis. Obiit anno Christi 1522.

6. *Nicolaus Haiderus*, ex Werdæa natus, vir eximie doctus præsertim in sacris Scripturis, mediocris etiam versifex, ex Ingolstadiana Academia accitus, eligitur anno Christi 1522. Præfuit 5. annis. Resignavit anno Domini 1527. & ex cœnobio in Helvetios discessit.

7. *Thomas Romanus*, Suevus, ex Auffkirchio celebri marca Oetingensium Comitum natus, eligitur anno 1527. Præest adhuc currente hoc Jubileo. Vidit anno 1547. monasterium suum misere diripi ac vastari à Schmalcaldici fœderis monachorum studiis non admodum propitiis affectis.

**S. CRUCIS VALLIS**, antiquitus Aquarum haustus vulgò *S. Wasserschapffen*/ forte ab irriguis fonticulis, quos tota habet circumfita vicinia pene innumeros, postea vero à S. Crucis particula (quam secundus fundator, Comes Ego de Willensteten & Gruningen, dicitur furtim ex Augia divite sustulisse) aliter nominatum: præclarum ac magnificum Cisterciensis instituti monia-